qui in ea parte deserti que
Syrenis iungitur habitabat
Hic cum primum se ad heremum
contulisset ex herbis herbarum
que radicibus quas preduices
interdum et sapori eximij
fert harena victuris igna-
rus germinis eligendi nox-
ia plerumque carpebat. Nec
erat facile vim radicum sa-
pore discernere quia omnia
eque dulcia sed pleraque
occulti ore natura virus
letale cohibebat. Cum
edentem ergo vis interna
torqueret et immensis
doloribus vitalia universa
quaterent ac frequens
vomitus cruciatibus non
ferendis ipsam anime sedem
stomacho iam fatiscente
dissolveret omnia penitus que
essent edenda formidans
septimum iam ieiuniis diem
spiritu deficiente ducebat. Tum
ad eum fera cui ibicus est
nomen accessit. Huic pro-
pius astanti fasciculum her-
barum quem collectum pridie
attingere non audebat ob-
iecit. Sed fera que virulenta
erant ore dispuens que
innoxia noverat eligebat.

Ita vir sanctus eius exemplo quid
edere quid respuere deberet
edoctus et periculum famis
evasit et herbarum venena
vitavit. Sed longum est de
omnibus qui heremum incolunt
comperta nobis vel audita
memorare. Annum integrum
et septem fere menses inter
solitudines constitutus exegi
magis virtutis admirator ali-
ene quam quod ipse tam ar-
duum atque difficile potuerim
temptare propositum. Sepius
cum sene illo qui pu-
teum et bovem habebat ha-
bitavi.

uo beati antonij mona-
steria adij que hodieque
a beius discipulis incoluntur.
Ad eum etiam locum in quo bea-
tissimus paulus primus he-
remita est diversatus accessi.
Rubrum mare vidi iugum Sina
montis cuius summum cacumen
celo pene contiguum nequaquam
adiri potest. Inter huius re-
cessus anachoreta esse aliquis
ferebatur quem diu multumque
quesitum videre non potui
qui fere iam ante quinquaginta
annos a conversatione hu-
mana remotus nullo vestis usu